

sed haud satis commodè, cum nec supra quam infra Horizontem major æstus deprehenditur, nec in pleniluniis alius regulariter quam in noviluniis, quod tamen Hypothesis omninò infert. Alii vero vi cuidam sympatheticæ seu magneticæ hoc deberi putarunt, ita ut mare à luna humorum Domina, transeunte, attraheretur, postea autem remitteretur, prout etiam ipse Scaliger. *Exercit. 52.* cum attractione ferri à magnete hos effectus confert. Sed cum Varenio *Geogr. l. 1. c. 15.* commodè hisce responderi potest, quòd nihil aliud dicant, quam effectum istum fieri à luna modo aliquo qui nos latet, & hic tamen quæritur. Ut ut vero sit, de tot tam veterum, quam recentiorum variis placitis & sententiis quin etiam illorum qui hoc seculo hanc rem accuratius persecuti sunt, & ratio temporis haud singillatim persequi permittit; difficultates sanè longè maximas in re difficillima, unaquæque harum haud effugit. Neque existimamus ullam adhuc dum melius se adprobasse hypothesin, quam quæ à Cartesio ingeniosè tradita est *Princip. part. 4. §. 49.* quæque maxime præ reliquis cum ipsa conspirat natura.

§. X.

Non tam igitur ex lumine Lunæ, attractione, vel alia qualitate, effectuum istorum causa petenda videtur, quam solo ejus motu & successiva pressione. Siquidem non solum diurnæ æstuum vices, cum varietate motus diurni, sed & Menstruæ mutationes, cum motus menstrui differentiis, quoad ascensum ad Apogæum, & descensum ad perigæum: Imo annuæ quoque vicissitudines cum motu perigæi & apogæi per signa vel æquinoctialia vel solstitialia satis conveniunt, pro ut in superioribus ostensum est. Unde etiam Gassend. in *Epic. pag. 1087.* inquit: *Merito sanè videtur luna agnoscisci vel unica, vel præcipua causa mirabilis hujus effectus; quando inter ipsum lunamque, hujusmodi connexio est, ut cæcum esse oporteat, qui ipsius dependentiam ab ipsa luna non observet.* De modo igitur dispiciamus.

§. XI.

Cum autem vacuum nihil detur, verum omnia spatia circa terram nostram, vel ab aëre vel materia cœlesti occupata sint. Ea vero ab aliis vorticibus cœlestibus fortissime pressa, orbemque nostræ terræ circumcirca ambiens, eum quasi muro inclusum intra limites suos arctissime continet; nec locum suum ulla ratione, cæ-
teris